

1563. 12. 11. Jhr.

III
Et Episcopus Sigis. Aug. impr. Lipsiae.

Gedanensibus.

Es paratos esse jubet ad procludendos Erico aditus omnes et opponendam vim.

37

Spectabiles et Summi Fideles nobis dilecti. Quae ad nos Fidelitates Vestrae de Erico Duce Brunsvicensi perscribunt, ea et olim et nunc etiam ex aliis quoque intelleximus. Itaque etsi persuaderi nobis non possumus Illustriatorem ejus, oblitam et veteris necessitudinis nostrae mutuae, quae nobis cum Illustriationis ipsius familia intercedit, et recentium studiorum suorum, quae nobis tam ex persona sua, quam ex parte earum copiarum, quas adducit, nuper admodum adversus hostes nostros deferrebat, aliquid adversus nos, ditionesque nostras tentatum esse, cum neque a nobis laessita sit injuria, neque quicquam denunciavit nobis hostile aut inimicum, tamen quoniam nulla in rebus propriis diligentia reprehendi solet, Fidelitatibus Vestris omnino mandamus, ut omni ope et conatu suo in id incumbant, ut portum suum urbisque suae propugnacula omnia diligenter et quamprimum communi-ant, aditumque omnem per Istulam, quacumque possent, adventanti fore exercitui procludant, et denique ita se gerant, ut paratissimi ad excipiendam omnem impressionem, si qua ex insperato ingruerit, rependantur. De omnibus autem rebus et nos et Illustrum Dominum Borussiae Ducem, et Consilarios illarum terrarum certiores faciant.

